

A 231
7

Hist:
III. c. 8.

~~Expon.~~ ~~Geograph.~~
Amt für Volksbildung

Stadt Brandenburg

~~Wochenschriften~~

J. VI, 884

~~III bis IV. 6~~

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.



Hoc in Volumine continetur.

1. De Religione Ruthenorum historica.
2. De Eptorum Sacramentis Baptism. atq; Eucharist:
3. De Pygmæis Aethiopicæ populis. R. Moherum.
4. De gravaminibus Religions Mr. Motet.
5. Augustana Confessionis Historia
6. De requo posterorum Abrahami in Aegypto. Mr. Baumgarten
7. Satura positionum historicarum Ludowici res complexarum
8. De causis quae Lutherum ad impugnandas indulgentias permoveant.
9. Heres D. M. Lutheri adversus indulgentias. 1571.
10. De funere et sepulcro D. M. Lutheri.
11. De negotio Moldavico Epistola Clementis LXI Pont. de Legimusum III.
12. De utilitate et jucunditate studii historici.
13. De vero usq; atq; auxiliis Jurisprudentie in Historia
14. De eo quod in Historia palorum est Oratio.
15. De origine generis humani
16. De invertituris Episcoporum per annulum et baculum.
17. Origines metallifodinarum in Germania
18. Num solennis exaltationum dies sub Templo II fuerit celebratus?
19. De fauna et famore famosis Aegyptiorum magis.
20. De auctore et causa fragis asperiorum tempore Berchicis Andensis.
21. Non Regum Ego d. 430 fuit non Romani in Syria Mænzen.
22. Inscriptio Romana: neque albium nego uniuersum.
23. Non Christus fuit fuit in Romano in Syria Mænzen

24. De templo Hierosol. Juliani Tempis: narratio per fabao frustis haec tentata retrans.
25. quidam postulata et in Münz 1712.
26. Magnus Christophorus i. e. Iohannes Christoppe.
27. De fabao non mortali.
28. De fabao immortali.
29. Amoribus mortaliis: de eiusq[ue] genit. p[ro]p[ter]e mortis.
30. Laudes Hamburgi.
31. De inventore pulvris pyr[ae]t[ri].
32. De Hesiaris inter antiquiores Christianos.
33. Eleemosyna de Ecclesia quadam philosophia recentior.
34. Apollonius Batavor.
35. Mysteria Nationis.
36. Geogonia et Cataclysmologia Whistoniana dubia redditus.
37. De existentia Genii.
38. De Lelenographicie justa Signatione.
39. De usu tormentorum apud Athenieenses.
40. Diogenes T. scilicet Tyrannus litteras Corinthi docens.
41. Jacobus Hyacinthus Ferry Testis veritatis.
42. De Joh. Fabio de versarii latini vita et scriptis.
43. De fine beli Societatis mercatoriae majoris privilegiatae.

ll 20
IOHANNIS PHILIPPI HEINII FIL.

DISSERTATIO

de auctore et causa stragis Assyriorum tempore Ezechiae Iudeorum Regis

ad

ILLUSTRATIONEM IESAIÆ CAPITIS XXXVII. v. 36.



Berolini,

Litteris Caroli Friderici Rellstab. 1761.

JOHANNES PHILIPPI GENEVENS

DIESER DRUCK

des Autographs des Kurfürsten von Brandenburg
zu Berlin ist der Druck des Theologen und
Philosophen JOHANNES PHILIPPI

aus dem Jahr 1624.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN LIBRARIES

VIRO ILLVSTRISSIMO ET EXCELLETISSIMO

CAROLO LVDOLPHO

LIBERO BARONI A DANCKELMANN

In Consilio Regis Arcano

STATVS BELLIQVE MINISTRO

REBVIS ECCLESIASTICIS QVIBVSCVNQVE

ACADEMICIS ITEM AC SCHOLASTICIS

PER REGIAS DITIONES

Magna cum auctoritate gravissime

PRÆSIDENTI

MÆCENATI DOMINO SVO BENIGNISSIMO

Hanc opellam laborum primitias

D. D. D.

AVCTOR.

AVRO MASTRISIMO ET EXCELSISSIMO
CRAOLO LADOLPHO
FIERO BVRONI AD VNCRELLMAN
IN CONGILIO REGII ALCAANO
STATAS BELTHOE MINTSLIO
REBAS ECCLESIASTICIS QVIRASCANDIA
ACADEMICIS ITEN AC SCHOLASTICIS
PER REGIVS DITIONIS
MAGISTER IANUS ANTHONIUS GLAZIOLUS
PRESIDENTI
MICHENALI DOMINO SVA BENEVLSSIMO
HOC DEGLORI VPPOLIUM LIBERUM

XXX

ACTOR



Argumentum Dissertationis.

§. I. *Introductio*. §. II. *Historia enarratur*. §. III. *Divisio dissertationis*. §. IV. *Kraftis sententia expenditur*. §. V. *Proponit sententiam Viringe de interitu Assyriorum*. §. VI. *Sententiam Iosephi*. §. VII. *Aliam suppeditat explicationem*. §. VIII. *Nomina indicat, quæ S. S. vento pestiferis et urenti tribuit*. §. IX. *Perlustrantur denominations, quibus idem ventus ab Arabibus, Persis, Armenis alisque gentibus insignitur*. §. X. *Descriptio effectuum Sammielis*. §. XI. *Conferuntur cum his vaticinia prophetae*. §. XII. *Declarat sententias eruditorum de angelo Ichôde, cuius in hoc loco fit mentione*. §. XIII. *Argumentum I. quo angelus auctor fuisse clavis adseratur, perlustratur*. §. XIV. *Occurritur argumento II.* §. XV. *Argumento III.* §. XVI. *Respondetur ad questionem, quæ circa hanc historiam moveri posset*. §. XVII. *Consensus clavis Assyriorum cum historia de Sethone Herodoto prodita monstratur*.

A



STRAGES ASSYRIORVM

§. I.


HORRENDA Assyriorum strages, quam relatam legimus *lef. cap. XXXVII. v. 36. II. Reg. XIX. v. 35. et II. Chronic. XXXII. v. 21.* disquisitione est dignissima. Huic jam, præmissa brevi eventus memorabilis enarratione, pro viribus lucem affundere conabimur. Primitiæ sunt laborum, quas ut benevoli lectores æqui bonique consulant, rogamus.

§. II.

REGNANTE Hierosolymis Ezechia, Senacheribus rex Assyriorum, prætexens tributum sibi pendendum, cum ingenti exercitu Iudeam invadit, et Ezechiam in maximas conjicit angustias. Hic tamen Deo confidens, vietas Assyriis dare manus recusat, muros Hierosolymorum labefactatos instaurari, et ad defensionem urbis necessaria diligenter parari jubet. Nec minus, licet contra Dei voluntatem,

*) o (*

tem, auxilium Aegyptiorum implorat. Mox vero perspectis rapi-
dis Assyriorum progressibus, tributum, quamvis durissimum, solvere
mavult, quam se suosque majoribus immergere calamitatibus. Hoc
tamen Senacheribus minime contentus, post redditum ex Aegypro-
rursus copias contra urbes Iudeæ munitas ducit, et jamjam regia pro-
pinquis per ministros suos maledicta et atroces minas in Deum,
regem, incolas et urbem evomit. In tanto discrimine rerum Ezechie-
lamicum reflatabat solatium, Deus, tutela ipsius et propugnaculum.
Hunc supinis orat manibus, ut arrogantiam Assyriorum comprime-
ret, seque his eriperet malis. Nec irrita fuerunt preces, nam mit-
titur iussu Dei Iesaias propheta illum consolatus, et liberationem
promissurus. Sic ait: *Noli perturbari verbis impiis, que contra me
locuti sunt servi regis Assyriorum. Ponam in illo spiritum et audier-
rumorem, revertetur in terram suam ibique gladio peribit.* Senache-
ribus tum temporis Libnæ obsidebat. Huc illi nuntius afferatur, de
adventu Taraconis regis Cuschæorum Ezechia suppeditas ferentis.
Quo perinotus obsidione Libnæ absistit, et Taraconi obviam progre-
ditur. Interim, ut majorem Ezechia incuteret metum, literas, con-
viciis et maledicis repletas ad illum mittit. Quibus acceptis rex in
templum se confert, et epistolam manu tenens submisso Deo suppli-
cat, ut impietatem Senacheribi ulcisceretur, meritasque ab eo sume-
ret peccas. Audiit illum Omnipotens, et sequenti nocte centum
et octoginta quinque millia Assyriorum mirandum in modum pro-
sternit. Non tulit tremendam hanc cladem Senacheribus, sed fugam



properans in terras suas regreditur, ubi paulo post in templo Nisrochi a filiis fuit interemptus. Hæc est historia eventus maxime illustris, in quo id nobis præcipue est propositum, ut in medium, quo Deus sapientissimus ad liberandum Ezechiam usus fuit, quantum fieri potest, inquiramus.

§. III.

LOCA S. S. quæ nobis hanc historiam exponunt, si pauca exceperis, plane inter se conspirant. Nos itaque potissimum Iesaiæ capituli XXXVII. v. 36. explicabimus, quo factò quædam etiam de loco, qui 2. Chronic. capite XXXII. v. 21. legitur, dicemus. Ut vero ordine procedamus, duas dissertationis constituimus partes. In altera mortis genus, quo Assyrii periere, investigabimus, in altera angelum accuratae meditationi subjiciemus.

§. IV.

INTERPRETES, qui insigui huic loco curas et operam impenderunt, circa modum, quo vitæ halitus Assyrii subito fuit adentus, in tam diversas discedunt sententias, ut multi induci fuerint rem in medio relinquere, et tutius esse existimaverint, ignorantiam profiteri, quam conjecturis locum concedere. Eminet inter hos vir clarissimus KRAFTIVS, qui in observationibus sacris, facie. II. Observatione VI. e silentio prophetæ concludit, nihil certi de plaga Assyrii immissa definiri posse, eamque confert cum interitu repentina Bethsemitarum 1. Sam. VI. v. 19. Usæ, 2. Sam. VI, 7.

et

et populi Israëlitici rebellantis, *Num.* XVII, v. 10. quent Deus
בָּרוּ momento temporis se exterminaturum minatur. Hic ignotum
plane et a nemine determinandum mortis genus vir doctissimus agno-
scit. Interim differentia quædam haud levis momenti inter exem-
pla Kraftio citata, et nostram historiam intercedit: nam pena Beth-
semitis et Usæ inficta Deo uni auctori adscribitur, frages vero Af-
syrorum angelo. Deus, qui homini vitam dedit, etiam quovis mo-
do eandem homini eripere potest; talis autem vis ac potentia an-
gelo, quantumvis illustris, minime competit; nullus enim angelus solo
nutu et voluntate ne unum quidem hominem, multo minus nume-
rosum exercitum occidere valet. Patet hoc ex duobus S. S. exem-
plis, peste Davidis tempore furente, et lethali Herodis morbo. In
utroque angeli fit mentio: sed non minus mortis genus, quo Israë-
litæ interierunt, et rex superbus fuit percussus, accurate designatur.
Cum hisce potius locis nostrum conferamus, et, quamvis propheta
non disertis verbis causam cædis Assyriorum referat, simili tamen
plaga illam effectam fuisse admodum est verosimile. Objicies vero:
Deum forsitan angelos vi extraordinaria et ipsorum naturam exce-
dente instruere, quod in prophetis et apostolis factum fuisse scimus.
Hoc si veritati eset consentaneum; omnem certe operam et oleum
perderemus, in arguendo nostro illustrando. Sufficeret voluntas
angeli potentia divina prædicti, quo jübente immensa clades castra
Assyriorum vastavisset, et nulla praterea ratiō hujus cædis dari pos-
set. Sed firmis argumentis hæc opinio probari non potest. Nam
rog.

perspectum quidem habemus, cur Deus prophetis et legatis suis facultatem miracula patrandi largitus fuerit; scilicet summe erat necessarium, ut hominibus, inter quos prophetæ et apostoli versabantur, de divina ipsorum legatione et veritate doctrinæ, quam promulgabant, maxime esset persuasum; sed aliter res est comparata angelorum, nam factum angeli si quis cognosceret, plane nesciret, utrum id a virtute angeli, an potentia Dei sit derivandum. Q Celebrissimus etiam NONNENIVS in dissertatione de baptismo ignis bibliotheca Bremensi inserta p. 521, Volum. I. cum de illis qui superstitione exclusis consuetis naturæ virium et elementorum operationibus miracula augent loquitur; dicit, illos miracula querere, ubi nec fines, nec causæ eorum inveniantur. Quin et plurimi interpretes in hac historia plagam quaesiverunt, qua Deus alias gentes et nationes punire ac perdere solitus fuit. Iam itaque nostrum est, ut præcipuas sententias perlustremus, et æqua ponderemus lance, eamque cui nos calylum adjicimus, certis suffulciamus argumentis.

S. V.

Q PRIMUM se nobis offert interpretum Iesaiæ doctissimum, VITRINGA, qui in commentario ad hunc locum exercitum Assyriacum, exorta horribili cum grandine procella, fulmine extinctum fuisse putat. Nititur hæc explicatio locis quibusdam ipsius prophetæ a Vitrunga adductis, scilicet Iesiae cap. XXIX. v. 6. c. XXX. v. 30. et c. X. v. 16. imo Psalmo LXXVI. quem in hunc casum com-

pon-

• 30 (•)

positum existimat. Cuique omnino loca hæc insipienti clarum evadit, Deum prædicere, se hostes Ezechiæ tempestate; fulmine, grandine, igne et turbine prostraturum esse. Quaritur autem, an hæc vaticinia proprie sint intelligenda? Negat vir clarissimus Kraftius, qui singulari dissertatione sententiam Vitrinæ sibi refellendam sumvit. Censet enim generatim his verbis poenæ graviore et illustres denotari, in quem finem allegat Psalmi XI. v. 6. 7. Ps. LXXXIII. v. 15. 16. Ezech. c. XIII. v. 11. 13. Licet hoc sapientia ita fere habere Kraftius libenter concedamus: si tamen certitudo cuiusdam facti argumentis aliunde desumptis dilucide confirmetur, nulla adest causa, cur e vaticiniis lux quædam ad ulteriore illustrationem elici non possit, modo tales proferamus explicationem, cui circumstantiae historiæ non manifesto repugnant. Nos quoque sententiam Vitrinæ libentissimo animo amplecteremur, nisi difficultas agre removenda illam premeret. Adspiciamus tantum verba prophetæ: *Et egressus fuit angelus tebore, et prostravit in castris Assyriorum centum et octoginta quinque millia hominum, et cum mane surgerent scil. reliqui, ecce omnes illi erant mortui.* Hinc recte concludimus, Assyrios alto sopiro somno nihil de plaga late noctu furente sensisse, et demum expergefactos attonitis animis lacrimabile sociorum fatum et corpora vitali aura cassa conspexisse: fulgurum autem rutilos ignes, et horrendum tonitruum murmur, lapidesque grandinis sonum ex eorum oculis non excusuisse, vix ac ne vix quidem nobis persuaderi potest.



...ava mundis tristisq[ue] soli mo^{re} §. VI.

TAM alia hujus loci explanatio expendi debet, quæ pestiferam lucem tanquam causam subiti Assyriorum interitus proponit. Fauent huic opinioni JOSEPHVS *Antiquitatum lib. X, c. II.* MARSHAMVS in Canone Chronico aliisque spectata eruditio[n]is viri. Op[er] posuit autem illi doctissimus *Vitrina* exiguum temporis spatium, unius nimirum noctis, quod propheta indicat. Tam brevi tempore, s[ecundu]m lice atrofissima peste, taatam edi posse stragem non putat, quod exemplis exercitus Carthaginensis duce Imilcone, et ci[er]piarum Prusiæ ab ipso confirmatur. Hoc argumentum suo robore constat, nisi incognitam plane et insolitam pestilentia speciem statuere velis. Credimus etiam, ejusmodi morbum contagiosum, quamvis subtilissimo et citissimo veneno corpora Assyriorum infecisset, majorem tamen tumultum, gemitus et clamores in exercitu excitaturum fuisse, quam quidem ex verbis prophetæ colligere licet. Investigemus itaque aliam explicationem, quæ incommodis, quibus una alterave *sententia* premitur, non laborat, et qua repentinum exitium optime potest illustrari.

§. VII.

CENSEMVS itaque, Deum, qui causis naturalibus ad fines illustrissimos maximeque mirandos utitur, vento exitiali et perniciose, fauces mortalium subito præcludente, et regiones Orientis sapienti misere infestante, tanta copias Senacheribi afflixisse clade. Subsoluit et

iam

iam huc sententia do&issimis quibusdam viris, uti PRIDEAUSSIO in
Historia Indorum p. 43. P. I. ZORNIO in *Opusculorum* P. II. p. 383.
et celeberrimo NONNENIO in dissertatione de baptismo ignis p. 510.
Quoniam vero non studio locam, quem sub manibus habemus, per-
secuti sunt, nos quasdam adjicere observationes pro modulo virium
annitetur.


S. VIII.

in S. Scriptura ventus ille vehementissimus et noxius variis nominibus insignitur. Vocatur רוחorientalis, Gen. XL. v. 6. ubi simul effectus ejus æstu et ardore producitus per שבלים שופת spicas Euro adulcas, indicatur. Ab oriente scilicet potissimum spirare solet, licet per מיש etiam plaga ad Austrum vergens intelligi debeat, ut eruditus probavit Nonnenius l. c. p. 494. vid. et Zornium in dissertatione de Ecnephis et Typhonibus Austrinis p. 131. P. II. opusculorum. Austro vel Noto similes quoque adscribuntur effectus, unde LUCAE XII. v. 55. καίσων ipsi tribuitur, quam vocem LXX, interpres ad exprimendum ventum קָרֵץ sepius addibuerunt. Vocatur præterea Eurus iste i. e. XXVII. רוח הקש ventus vehemens, et IEREM. IV. v. 7. רוח משחת ventus noxius, et IONAE IV. v. 7. ventus silentii h. e. subtilissimus et æstum solis maxime intendens, qui Ionæ tam molefus erat, ut vita ipsum tæderet (*). Alia porro nomina et proprietates hujusventi in S. Scri-

B

ptura

¶ Ni^ק derivandum est a חֶרְמָה sol, din ש transunte, aut cum



ptura inveniuntur: sed quæ nos in præsens diutius non morantur,
cum totum hoc argumentum doce et diligenter petra&atnm legi
potest in dissertationibus jam citatis et apud *Harenbergium* et *Glaſe-*
nerum in bibliotheca Bremensis Clafis VII. fasciculo IV. Nos la-
bores ac relationes peregrinatorum, quibus in reſta S. S. explicatio-
ne multum debemus, in nostros verterimus uſu s, et inde materia, quam
contemplamur, lucem accendemus. Ductores noſtri ſunt CHARDINIVS
in itinere *Perſeo*, THEVENOTIVS in itinere *Orientali*, KAEMPFERVVS
in amoenitatibus exoticis et alii, ex quorum scriptis viri celeberrimi
Nonnenius, *Harenbergius*, *Glaſenerus* et *Zornius* in dissertationibus ci-
tatis excerpta dedere. Hos evolvat libros, cui ipsa auctiorum verba
legere lubet. Nobis ſufficiat, accuratam, et quantum ad scopum
noſtrum pertinet, notinum et effectuum pefiferi iſtius venti exhibe-
re delineationem.


§. IX.

ARABES duplice illum ſignant nomine: qui interdiu flat, vo-
catur *samtum*, a *samma*, venenum propinavit, et paſſivi forma, tor-
rido vento aſtuavit nocuitve dies, vid. *Golium* in *Lexico*, qui vero
noctu spirat, *charūr a charra*, caluit, ferbuit. Propter ultimam deno-
minationem, quæ vento nocturno aſtum tribuit, etiam minus nobis

pla-

Hydio in notis ad itinera Peritſoli p. 146. a ων aravit, tanquam ſit ventus
arator, qui continentem exarando arenam ſecum rapit et elevat.

placer sententia Nonnenii qui l.c. p. 510. contra Prideaufum monet, ventum, quo Assyrii periire, potius frigidioris fuisse indolis, quoniam noctu res accidit. Praterea, licet in regionibus Orientis noctes soleant esse frigidiores, affirmari tamen non potest, hoc nullis subjectum esse exceptionibus, præcipue in casu tam extraordinario. In Mesopotamia terrisque adjacentibus ventus hic Sammiel audit, vox judice Thevenotio composita ex Arabico *samm*, venenum, toxicum et voce Turcica *iel*, quæ ventum significat; ita ut ad venenatum hujus venti naturam eo nomine respiciatur. Subit animum circa vocem Sammiel conjectura. Iudei nimurum מַלְאָךְ הַמֹּתִים angelum mortis appellant Sammaëlem, de quo prolixè egit Neubauerus in dissertatione de angelo mortis, Sammiel et Sammaël una differunt literula. Sammaël quidem a viris doctis, uti a Coccojo in commentario in epistolam ad Hebreos derivator a לְמַתְּרֵד recedens a Deo, alii illud nomen deducunt ex וְדָן venenum, et לְאֵל Dens, quasi Deus veneni, angelus mortis dicentur. Nobis autem probabile videtur, Sammaëlem principio nihil aliud denotasse, nisi ventum illum lethalem, ventique præsidem angelum. Iudei enim ventis, aquæ et igni præficiunt angelos, vid. Eisenmengerum Tom. II. c. VI. p. 279. et ideo eandem cum Sammiele habere originem, lapsu vero temporis propter noxios et lethiferos ejus venti effectus, generatim pro angelo mortis usurpatum fuisse. Armeni Persæque eundem ventum Bâdisamûr appellant, cuius derivationem Kæmpferus se ignorare fatetur, nisi fortassis samûr idem sit cum Ara-



bico sumum. Chardinius quoque cundem ventum Bâd sumum vocat. Prior quidem vox Bâd Persice ventum significat, de qua sic HERBE LOTIVS in Bibliotheca Orientali: Bâd, nom d'un Ange ou Genie, tel quel selon les traditions des Mages ou Zoroastriens preside aux vents, et est comme l'Eole des Grecs. Bâd en Persan signifie vent e. g. Bâd Khanib et Bâd Ebani, nom d'une fontaine, qui porte aussi le nom de Geshmêb Bâd, à causequ'il en fort en certain tems de l'année un vent si impetueux, qu'il enleve les hommes et déracine même les arbres.

§. X.

PROGREDIMVR ad originem et horrendos pestilentis hujus venti effectus, cui furor rabiesque Austri a poëtis Latinis decantata comparari non possunt. Itaque in Arabia, Persia, Palastina aliisque Orientis regionibus radii solares aestivo tempore calorem vehementem producunt, cum multis in locis cœlum eo tempore nullis tegatur nubibus, nec pluvia auram ferventem frigidorem reddat. Augent hunc aestum radii solis repercutti a locis atenofis, que instar lacuum longos regionum traçus occupant (*). Accedit ventus ab ortu solis plerumque, aut meridiie spirans, et particulas igneas et ex-

halas

(*) Huc spectat proverbium Arabicum יְהִיחָא צַעֲלֵי עַרְבָּא לְסָרָאֵב Petit speiem apparentis aquæ, de quo sic GOLIVS: אֶלְסָרָאֵן, Hebraice, שָׁרֵב, aëris fælis vel aestuus quid et torridum, Arabibus peculi griter est vapor seu splendor quidam in desertorum planicie eminus apparet, vesti lacus forma, quam aerenis repercutti efficiunt ardentes radii solis.

halationes sulphureas secum vehens, quo campi exutuntur et aër tan-
tam induit malignitatem, ut quicunque illum attraxerit, subito spiri-
tu privatus procidat (*). Palvis præterea turbine illo excitatus in al-
tum tollitur, et rursus dissipatus magnas saepe peregrinantium cater-
vas, numerososque exercitus sepelit. Hoc fato perierunt copiaæ
Cambysis, Persarum regis, quinquages mille armatorum, quas ad di-
ripiendum templum Iovis Hammonis ablegaverat, uti testatur Herodotus.
Sic societates mercatorum, et religionis ergo Meccam profi-
ciscientium pulvere illo sepius obruuntur, Balsoræ anno 1665, in-
tra spatum viginti dierum 4000 homines ardenti illo vento suere
consumti. Tradunt etiam Arabes, Deum, ad puniendos posteros Adi-
idololatras, ejusmodi fercentem et suffocantem misericordie ventum, qui

B. 3 cum

(*) CHARDINIVS in itinere Persico Tom. IV. p. 22. singulare quid
de effec̄u Sammielis refert. Ce vent, ait, est siéistant avec grand bruit, rou-
ge et enflammé et tue les gens, qu'il frappe par une maniere d'étonnement,
surtout quand c'est de jour. Son effet le plus surprenant n'est pas mé-
me la mort qu'il cause; c'est que les corps qui en meurent, sont comme dis-
sous, sans perdre pourtant leur figure ni même leur couleur, en sorte qu'on
dirait, qu'ils ne sont qu'endormis, quoiqu'ils soient morts, et que si on les
prend quelque part, la piece en demeure à la main. Haec duobus exemplis
confirmat, et paulo post sic pérgit: Lorsqu'on sent ce méchant vent, qui se
lève avec véhementie comme un tourbillon, il faut promptement s'envelopper la
tête, et se jeter en terre sur le ventre, et la face pressée contre la poussière
jusqu'à ce que le tourbillon soit passé, ce qu'on dit qui est fait dans un
quart d'heure.



cum per septem dies rotidemque spiraret noctes, totam gentem, paucis exceptis extinxit, uti refert POCOCKIVS in *specimine historie Aranum* p. 35. Plura exempla apud autores citatos reperiuntur.

§. XI

IAM tempus est, ut rationes adducamus, quibus permoti statim ingentes Senacheribi copias afflatae presteris subita deletas fuisse morte. Primo ex allatis exemplis patet, ventum Sammiel ad tam diram stragam edendam esse aptissimum, præcipue cum ex sapienti Dei providentia multa illi magnum adjicere potuerint incrementum. Neque objicias, hac ratione totum exercitum Assyriacum ad internectionem potuisse deleri, cui S. S. repugnat; nam Sammiel sapissime speciem habet turbinis, qui traçum regionis exigui aliquando spatiū pervadit, et quævis sibi obvia dissipat, diruit, et evertit, cum tamen loci ab hoc traçu separati vim ejus et impetum minime sentiant. Sic ☽turbo, urenti Euro expresse tribuitur IOR. XXVII. v. 20. 21. et cap. XXI. v. 18. aliisque in locis. Deinde nostra explicatio anferuntur scrupuli, quibus sententia *Vitrinæ* et *Iosephi* premittitur: Sammiel enim testibus *Thevenotio* et *Chardino* ad exiguum sepe tempus durat; brevis igitur noctis pars sufficit, ad hostes Ezechiae repente e medio tollendos, si ad summam celeritatem, quam in turbine observamus, et venenatam Sammielis naturam respicimus. Noctu incipit furere plaga et Assyrios nihil metuentes somnoque sepulcros repente suffocat. Superstites expergesæti horrore corripiuntur,

cum

cum maximum copiarum numerum subito exitio absuntum et prostratum vident. Hoc spectaculum eo terribilibus erat, quo magis inopinatum. Denique loca prophetarum, ubi interitum Assyriorum declarat, silentio non sunt prætereunda. Clarissimus legitur *Ies.* XXX. v. 7. cæt. *הָנָן נוֹתֵךְ בָּרוּךְ שְׁמַעְיָה* ita a Vitrunga reditus: *Ecce indam ei spiritum cum audiverit rumorem, et revertetur in terram suam, et faciam eadat gladio in terra sua.* Mirandum est, in hac prophétia nullum vestigium de instanti Assyriorum clade deprehendi. Respondeat VITRNGA prophetam aliis occasionibus illorum necem jam tamen commemorasse. Nos vero verba hæc sic interpretamur, ut omnino plaga species Assyrios prostratura, innoteat: *Ecce ponam contra illum ventum et audiet rumorem cæt.* Particulam *בְּcontra* significare nullum est dubium, vid. EZECH. XXVII. v. 5. *הָנָה אָנִי מַבְיא בְּכֶסֶת רֹוח.* *Ecce adducam supravel contra vos ventum uti ex. v. 4.* ejusdem capituli liquet. *Psalmo LXXVIII. v. 31.* *וְאַף אֲלֹהָם עַלְהָה כְּחַטָּאת* *Et ascendit ira Dei contra illos.* Secundam vaticinii partem, et audiet rumorem, *Prideaus* de flatu venti a Senacheribo percepto intelligit: sed nuntius quoque de adventu Taraconis indicari potest, cui sententia etiam doctissimus Vitrunga favet. Supersunt alia loca ut *Ies.* XVII. v. 13. *Et propelletur sc. Affur sicut gluma montium coram vento ec sicut גְּלָבָל stipula, palea,* (vid. Ps. LXXXIII. v. 14 ubi hæc vox cum שָׁׁר connectitur) *coram turbine.* *Ies.* X. v. 6. *Propterea mittet Dominus exercituum in pingues ejus* *et exanimans inservientem munitum circumdanteq; adiutori suo I. maciem;*

וְאַתְּ תִּרְאֶה בְּרֹאשׁוֹ נִזְנִינִין וְבְּאַמְתְּפָדָיו יְלִקְבָּרְךָ

maciem, et subter gloriam ejus ardabit ardor, qualis est ardor ignis, eritque lux Israëlis in ignem et Sanctus ejus in flammarum et incendet et consumet sentem et veprem ejus uno die. Porro Ies. XXIX. v. 6. A Iehova exercituum Domino visitabitur in tonitra et terra motu et voce magna, procella et tempestate et flamma grise vorans. Tandem XXX. v. 30. Et audiens faciet Iehova claritatem vocis sua, et desensionem brachii sui videre faciet in commotione ire et flamma ignis vorantis, dissipante ac lumen et lapidibus grandinis, quippe a voce Iehova prosternetur Assur. Ex cunctis his varicinis, licet non certissime concludi possit, omnes circumstantias, quas continent, re vera sic fuisse implatas, cum vates phrasibus figuratis generatim horrendum Dei iudicium depingere potuit; nihilominus, si argumentis aliunde de sumis plagæ species definiatur, quod in praecedentibus conati sumus; notabilis effatorum prophetæ concordia cum pernicie Euri cuivis facile persuadebit, Deum his prædictionibus peccatum Assyriorum indicare voluisse: ardor enim et flamma ignis vorantis, quæ expresse memorantur, æstui Euri Austrive sunt simillima. Reliqua, ut tonitra, fulgur et grando, sepius hujus venti comites (*) haud dubie absuerunt, uti patet ex his, quæ §. V. diximus. Etenim qualescumque exitiosi venti effectus, aliaque tremenda, quæ aliquando illum sequuntur, phænomena prophetæ memorat et describit, Deus autem illa tantum, quæ scopo ipsius maxime conveniebant, ministros vindictæ sue esse voluit.

§. XII.

(*) Vid. quæ de his phænomenis Eurum pestilentem comitantibus scripsit celeberrimus NONNENIVS L.c. p. 501, et 520.

§. XII.

PERGIMVS ad secundam dissertationis partem, in qua de
מֶלֶךְ יְהוָה angelō Iebovā, cujus in excidio Assyriorum apud prophē-
tam mentio sit, pauca dicemus. Tres potissimum sunt sententiae,
quas diversi SS. interpres in se defendendas suscepereunt. Primae
favet VITRINGA, qui per angelum Iehovā non gregarium quendam,
sed angelum foederis, filium Dei intelligit: perpenso enim tempore
admodum brevi huic cladi destinato, et ingenti occisorum numero,
conclusit, ejusmodi effectum vires spiritus creati excedere, et haud du-
bie opus esse omnipotentiae divinae. Sed adversarium naēsus est vir
doctissimus, KRAFTIVM, qui hoc argumentum debili superstrucum
esse fundamento in observationibus pronuntiat, cum plane lateat, quid
angeli valeant, et quoque eorum vires se extendant; jure igitur an-
gelum creatum, tanquam Dei ministrum, assūti posse judicat. Hęc
secunda est sententia, cui eruditii patrocinantur. Sunt denique alii, qui
plagam ipsam a Deo missam per מֶלֶךְ יְהוָה angelum Iehovā designari
putant. Hoc inter alios tuerit eruditissimus HEUMANNVS in ob-
servationibus ad Evang. Iohannis cap. V. p. 211. Res nobis vide-
tur ordine esse tractanda, ut certi quid, si fieri potest, eruamus. In
prima dissertationis parte, causam proximam repentini Assyriorum
interitus indagavimus. Sin autem nobis quis non assentiarit, credat
ille procellam cum VITRINGA, vel pestilentiam cum JOSEPHO, vel
etiam aliam plagam, quę angeli manu gubernata Assyrios momento

C


citius

citius sustulit. Nos potissimum hic dispiciemus, utrum solidis argumentis evinci possit, re vera angelum auctorem cardis Asyriorum extitisse, an vero Deus solus sapienti sua providentia plagam istam in perniciem hostium Ezechia direxerit. Hunc in finem argumenta pro angelo pugnantia ordine proponemus, et quæ contra illa dici possunt adjiciemus.

§. XIII.

Argumentum I. initur significatio vocis מלאך angelus, de qua sic celeberrimus NONNENIUS I. c. p. 521. Quenam causa subest, ob quam haec voce (scil. מלאך et ejusmodi) hic homines, illic legatos singularis ordinis, sacerdotes levitasve, alibi ventos, vel fulmina notent, res penitus a se diversas, ad similes ramen effectus producendos missus. Nulla omnino subest causa: si modo demonstretur, vocem מלאך juxta etymologiam propriæ spiritum designare inrelinquenter, angelum, et eam nullo alio sensu in S. S. usurpari. Sed hoc difficillimum est. Nam ex etymologia omnibus notissima appetet, vocem מלאך nihil aliud denotare, nisi missum, nuntium, legatum, nuntiatorem, unde etiam sit, ut in S. S. homines appellantur מלאכים vid. MICHAELIS dissertationem de *angelo Dei*. Imo מלאכי יהוה vocantur prophetae, sic Hagg. I. v. 13. זיאמר חנומלאך יהוה Et dixit Haggaeus legatus Ieboe, vid. etiam Chronic. XXXVI. v. 15. 16. Tandem res quoque inanimatae, quibus Deus tanquam ministris utitur, nominantur מלאכים, quia a Deo mittuntur. Perspicue hoc patet Psalmi CIV. 7. 4. עשה מלאכיך רוחות משרתו אש להט Faciens angelos, legatos suos ventus

ventus, et ministros suos flammarum ignis. Doctores quidem Iudei ad explicacionem hujus loci afferunt, angelos nunc in ventos, nunc in ignem, aliasque formas, uti Deo placet, transmutari, vid. quæ collegit Westenius in editione sua N. T. ad cap. 1. epistole ad Hebreos. Multi Christianorum interpretum aliam ingrediuntur viam, et qualis intercedat similitudo inter angelos et ventos, aut ignem pervestitigare student. Sed his ambagibus non est opus. Divinus poëta spectaculum naturæ in hoc carmine expandit, et longe probabilius est, illum inter sublimem lucis, cœlorum, nubium, descriptionem et fundamentalium terræ, tonitruum, montium, inserere voluisse ventos ac fulmina et ignem quam angelos. Deum tanquam supremum creaturarum Dominum introducit. Hujus nutuventi, turbines et procellæ locis abditis raunt, origines sape immanum vastationum. A Deo igitur ablegantur, sunt ejus nuntii, ministri et legati, ejus ☽בְּנֵי־הָאָדָם hand secas ac spirituum cœlestium immensa multitudo. Egregie quoque hoc loco utitur auctor epistola ad Hebreos. Ibi enim cap. I describens majestatem et gloriam personæ ac muneris Christi, magnifica verba profert, quæ Deus de ipso enuntiavit: *Tu es filius meus, hodie te genui, et quantum præstet angelis demonstraturus, sic pergit v. 7 πρῶτος μὲν τοὺς ἀγγέλους λέγει.* De angelis quidem dicit (nam πρῶτος hic significat de, uti notavit Glassius) h. e. respectu muneris, ad quod angelii sunt destinati: οἱ παιῶντες τοὺς ἀγγέλους, αὐτοῦ πιέντατα, καὶ τοὺς αυτοπροσώπους αὐτῷ προσός φλόγα. Faciens angelos suos ventos,



et ministros suos flammam ignis. h. e. Venti et fulmina sunt
 ministri, legati Dei et ita vocantur Ps. CIV. Vos itaque spiritus
 celestes, angeli, מלאכי respectu Dei, et muneris, quod jubente Deo
 vobis est subeundum, in eadem classe estis collocandi cum ventis et
 igni et infinita creaturarum omnium multitudine, quae nutui et vo-
 luntati summi regnatoris parere et ejus iusta facessere debent. Chri-
 stus vero aeternus est Dei filius, haeres omnium rerum, per quem
 Deus mundum creavit, et cuius thronus in sempiterna tempora im-
 motus manebit. Secundus locus, qui hic pertinet, est v. 49. Psalmi
 LXXVIII. ubi Deus מלאכי ועדים contra Aegyptios misisse dicitur.
 Sunt juxta CLERICVM angeli, quibus homines improbi puniuntur, nisi,
 ut ille conjicit, legendum est מלאכי רעים angelos malos. Quic-
 quid eligas, valde dubitamus, sermonem hic fieri de angelis: neque
 enim decem plagi Aegyptiacis cruciatus cacodæmonum adjicere, nec
 cum auctore libri sapientia spectra et phantasmatata, ad horrorem te-
 nebrarum augendum, fingere licet, nec operationibus spirituum mu-
 tatio aquæ in sanguinem, producio ranarum et culicum adscriben-
 da, cum apud Mosen de his altum sit silentium. Imo in ultima plâ-
 ga Deum angelo fuisse usum e textu S. S. concludi non potest. Nam
 tribus in locis cap. XII. Exodi v. 12. v. 23. et 29. Deo soli auctori
 primogenitorum interemptio tribuitur; vers. autem 23. haec leguntur
 verba: Quando videbit sanguinem postibus adspersum, ostia preteribit,
 et non permettet ut חתאת perdens seip. mors vel flaga intret domos
 vestras.

21

zebras. Cur necessario angelus intelligi debeat, non videmus. Sic etiam v. 13. ejusdem capituli sequentia leguntur. Quando conspiciam, Deus loquitur, sanguinem, vos preteribo et non erit inter vos percussio perdentis scilicet plague, mortis, excidii. Hæc vos non tangent. cocejus נָגַע לְמִשְׁחֵת in Lexico interpretatur plaga ad destructionem, ad noxam, ex significatu nominis מִשְׁחֵת leso, noxa, quod clarum omnino exhibet sensum, sed non bene congruere videntur cum iis, que in epistola ad Hebreos cap. XI. v. 28. legimus: οὐδὲ ὁ θεός πέντε τὰ πρωτότονα θύην ἀντάνει, ne perdens primogenitos scilicet θάνατος, mors, ipsos tangeret. Itaque prior explicatio nobis magis placet. Auctor etiam libri Sapientie, qui copiose cap. XVIII. eventum Ægyptiis perniciosum enarrat, angeli nullam facit mentionem, sed præpotenti Dei verbo primogenitos interemtos fuisse afferit. v. 15. ejusdem capituli. Ex his igitur concludimus, nihil aliud designare, nisi plagas divinitus ad affligendos Ægyptios missas. Erant enim terribiles Dei מִלְאָכִים, nuntii et testes iræ ipsius in hostes Israëlitarum. Cæterum cave timeas, ne eo, quod varias cum vox מִלְאָךְ connectimus notiones, loca S. S. fiant obscuriora. Cur hæc vox præ aliis singulare quid et præcipuum haberet? Si רֹאשׁ ubique per spiritum, אֱלֹהִים per Deum, כָּרוֹב per angelum certi ordinis interpretaremur, verus S. S. sensus multis in locis non constaret. Prudentia hic opus est, nihil que affirmandum, quod S. S. probari non potest.

§. XIV.

ARGUMENTVM II. desimitur ab angelorum apparitionibus sub V. T. eorumque factis, quæ S. S. memorat, et a nomine in dubium vocantur. Cur enim angelus robore pollens, permittente Deo, in corporibus nihil efficere possit? Sic *Matthæi XXVIII. v. 2.* angelus saxum a sepulcro Servatoris nostri magna vi et impetu devolvit, ita ut terra vehementer tremuerit et concuteretur. Sed de hoc jam non queritur. Id volumus, utrum in plagiis, pœnis, morbis, aliquando etiam beneficiis, uti fuerunt aquæ Bethesdæ, in calamitatibus, peste, incendiis, inundationibus, terræ motibus, fulminibus, et omniabus mortis et exitii speciebus, a Deo, sive miraculo excitatis, siue ex sapienti ejus mundi gubernatione ortis, angeli suas quoque habuerint partes. Hoc a viris quibusdam doctissimis adstruitur, qui gubernationem Dei sub V. Oeconomia in his rebus a præsenti diversam fuisse credunt. Celeberrimus Nonnenius l. c. p. 518. sic de hoc argumento loquitur: *Nihil hic superstitioni litamus, neque Platonico-rum placitis adsurgimus. Non contendimus eandem operationum economiam constanter et per naturam spirituum, et per omnia mundi tempora et in omnibus aeris et tempestatum mutationibus obtinere. Plura non intendimus, quam sub V. T. et ante devictum per religionem Christianam gentilismum, has spirituum operationes fuisse conspicuas.* Concedamus, angelos in procella, peste, aliquando ad voluntatem Dei declarandam, apparuisse, sed hinc nondum efficitur, illos pestem,

vén-

ventus et fulmina excitasse et manu sua eorum vim direxisse. Ea sa-
ne perfectio, is ordo et ea sapientia est in mundo, ut omnes creatu-
rae, etiam vita destituta, omnes immensae machinae partes, debito tem-
pore et modo perfectissimo, ita ut terminos a Deo prescriptos ne
minimum quidem excedant, effectus suos sine externa directione,
qualis angelorum esset, edere possint. Ubi igitur causa naturales
aptissimae sunt ad fines Dei perfectissime explendos, quid angeli pra-
stanter, non viderimus, neque hoc afferendo operationibus spirituum
in S. S. obviis, uti iam diximus, quicquam detrahitur aut deroga-
tur. Interim clarissimus OEDERVIS in πειθαράν sive Verisimilium
Quinquagena n. 26. cum e verbis cap. XXXII. v. 21. II. Chronicor-
um: *Et misit Iehova angelum, qui exedit in castris Assyriorum omnem*
*virum fortem, et ducem, et principem, colligeret, auctorem hujus stra-
gis consilio esse usum, necessario spiritum hic assumendum, et omnem*
aliam causam proligandam esse censem, cum de vento pestifero dici
nequeat, illum praestantissimum quemque et robustissimum occidisse.
Facilis ad haec responsio. Lucem nobis praebet Iosephus antiquita-
tum lib. X. cap. II. ubi sequentia: *λουκίν νόσω διαφείρονται υπει-
δες δύτωνάδενα καὶ πενταυσχίδιοι σὺν ἵγειοσι καὶ τεξιάρχαις:*
peste divinitus immissa absunt et sunt octodecim myriades et quinque mil-
lia militum cum ducibus et tribunis. Itaque auctor Chronicorum
nihil aliud indicat, nisi ingenti occisorum multitudini etiam permisitos
fuisse multos duces et principes: neque enim centrum et octoginta
quin-

quinque millia ducum in exercitu extiterunt, neque hi salvis militibus gregariis fuerunt prostrati. Iam clarissime patet, cladem pestiferum vento haud difficulter effici potuisse.

Quod vero potissimum ad nostram spectat historiam, sunt media, quæ Deus sapientissimus multis occasionibus adhibuit, ad populum suum e manibus hostium eripiendum. Perlegamus historiam sacram et annales populi Dei. Num Deus cohortes, aut legiones angelorum, quod ipsi facilissimum fuisse, misit, ad causam Israëlitarum tuendam, eorumque hostes in fugam vertendos? Neutiquam, Ægyptii perire undis, Amorras prostravit grando, terigerunt fulmina Philistæos, Midianitæ mutua cæde deleti fuerunt, Syri labito correpti terrore e castris ausfugerunt. Plura exempla sacræ suppeditant paginae, unde omnino maxime fit probabile, nostram historiam cum reliquis aliquam habuisse similitudinem, quæ plane perit, si pro certo ponis, angelum modo incognito Assyrios trucidasse.

S. XV.

ARGUMENTVM III. nititur sententia Iudæorum, inter quos multi pœnè omnia ministerio angelorum effecta fuisse et iam nunc effici, eorumque subesse præsidio putant. Hinc factum est, ut Paraphrasta Chaldaici in locis quibusdam S. codicis vocem מלאך adhibuerint, ubi illa in textu Hebraico non legitur. Sic *ff.* LXXXIX. v. 49. וְלֹא יָחִי מֶלֶךְ אֶתְמָתָה וְלֹא יַרְאֵה מֹתָה. Et *Habak.* III. v. 5. דְּמָתָה אֲמַתָּה מְשֻׁתָּלה: *Et* *פְּנֵיו יְלֹךְ דְּבָרָה* explicant.


אֵלֹהִים רָאשֶׁן. Ex his quidem apparet, quid Iudei recentiores senserint: sed num veteres idem crediderint, et Deus re vera morti ac pestilentie præfecerit angelos, id justa ratione evinci non potest. EIGHTHOOTVS ad cap. XI. epistolæ ad Corinthios v. 10: αὐτὸς γέγονε τεκνός ναὶ των αὐτῶν ἐγόγγυσαν νεὶ ἀπόκτησεν ὑπὲρ τοῦ ἔλεου Θεού, exklamati, ὁ λογοθέατρος designare gentis mortis communem et ordinem, cum paulo ante v. 8. g. apostolus de violento mortis genere agat, et in desertis Israëlitas angelo exterminatore percussos fuisse non legamus. Censet igitur apostolum alludere ad angelum mortis, quem Iudei אֵלֹהִים רָאשֶׁן angelum corruptorem vocant, et a morti hominum praesciunt. Quicquid de hac refit, cum non certe constet, sententiam de angelo mortis temporibus apostolorum inter Iudeos jam receptam fuisse; id nobis perspectum est et exploratum, veteres Iudeos plagas a Deo miseras legatos Dei, ἀλογεῖτας, et ἀλογεῖτας perdidores et perdentes summo jure appellasse, ut etiam eruditissimus HEUMANNVS agnoscat, et inde historiam de angelo aquas Erebœ turbante et Herodem regem percutiente, illustrat.

§. XVI.

QVAERITVR tandem, utrum Deus miraculo h. e. aēi voluntatis suæ, ordinem naturæ ab ipso constitutum mutante, perniciosa et lethalem ventum excitaverit: an vero providentia sua sapientissima effecerit, ut plaga Assyrios prosternens definito crumperet tempore. Certi quid tacente S. S. in hac re definire non licet. Mo-

D

ne-



nemus tamen, perfectiones divinas maxime fuisse conspicuas, quantumvis illustris ille eventus solita Dei gubernatione et rerum omnium directione acciderit. Quis enim nisi Deus, cuncta intellectu suo complectens et futurorum praescius, oranti Ezechiae liberationem promittere poterat? Quis nisi Deus, qui nuncinē cōlūm et terras tortquet, hæc promissa rata fecisset? Non illustriora providentia divinæ indicia exspectari possunt. Rex et populus de singulari Dei auxilio et cura certissimi erant.

S. XVII.

Quod reliquum est, hac referendam credimus historiam, quam habet HERODOTVS Lib. II. cap. 141. Audiamus patrem historicorum: Post hunc regnavit sacerdos Vulcani, nomine Sethon: is bellatoribus Ægyptiis abusus fuit, contemptui habens tanquam sibi non opportunos, et cum aliis ignominis affecit, tum vero agris exiit, quibus fuerant a superioribus regibus singuli donati duodenis. Ex quo factum est, ut cum postea Senacheribus Arabum affyriorumque rex cum magnis copiis invaseret Ægyptum, noluerint ei opitulari. Tunc sacerdotem consilii inopem in canaliculum se contulisse. Ibiique apud simulacrum complorasse, quanta pati periclitaretur: eique inter lamentationem obrepisse somnum, et inter quietem visum adstare Deum, exhortantem, nihil eum molesti passurum, si copiis Arabum obvian iret, se enim auxiliarios ei missarum. His insomnis fretum sacerdotem, suntis Ægyptiorum iis, qui sequi vellent, castra in Pelusio posuisse (hac enim Ægyptus invaditur) nec eum fuisse quempiam bellatorum secutum, sed infir-

institores et operarios, et forenses homines. Eo quum pervenissent noctu, effusam ipsis hostiis vim agrestium murium, qui illorum tum pharetras, tum arcus, tum scutorum habens abederunt, ita ut postera die hostes armis exuti, famam fecerint multis amissis. Eoque nunc iste rex in templo Vulcani lapideus stat, manu murem tenens, atque haec per literas dicens: IN ME QVIS INTVENS PIVS ESTO. Hanc quidem historiam doctissimus R QUIUS in observationum Sauini Parte IV. p. 390. a nostra diversam esse censem. Quoniam vero circumstantiae quædam a Roquio non satis examinatae ac perspectæ in mentem venerunt, has in medium proferre vixum fuit. Iudicio eruditorum relinquimus, quid ponderis illis sit tribuendum. Videamus igitur prius consensum, deinde de diversitate agemus. In difficultates chronologicas neutiquam excurrimus, qua nec sunt hujus loci, nec temporis; qui illas desiderat, viros in hac scientia peritissimos consulat, Marsbamum, Usserium, Vitrinam, Vignoliun, Lacksonum, histore etiam universæ compilatores, ubi assatim doctis et acutis conjecturis satiabitur. Occurrit igitur nobis in Herodoto primo VULCANVS, Ægyptiis PHTHAS appellatus, idem qui Iudæis IEHOVA, et habitus rerum omnium causa et pater, et opifex mundi, qui Chaos tenebricosum primo compegit, deinde vero ex materia, quam Chaos complectebatur, res omnes creavit, atque ex tenebris in lucem protraxit. Sed vide de Hhtha multa cum magno eruditiois apparatu dissenserent Ægyptiæ literaturæ peritissimum TARNOWSKIVM in Pantheo, doctorem quondam meum, non sine honore appellantum. Non igitur discrepat Vulcanus Ægyptius a vero Deo cœlo-

rum terraque conditore. Occurrit deinde sacerdos *Vulcani*, *Iesaias* propheta, cum rege *Ezechia* ab *Aegyptiis* propter ignorantiam rerum sacraum temere confusus. Videntur enim in supplicatione ad Deum, easdem egisse partes. Occurrit porro contentus militum et bellatorum, id est, *Ezechiae* opes erant exiguae, et ratione regis *Alyriorum* nullius momenti. Audiamus ostentationem *Rabsaces* *Iudeos* his verbis alloquentis: *Nunc vero spensionem facite cum Domino meo, rege Assyria: dabo tibi duo equorum milia, si possis dare, qui illis zebentur.* Quomodo ergo posses in fugam vertere decem unum ex minimis Domini mei servis. IES. XXXVI. v. 8. 9. Occurrit tum inopia consilii regis *Sethonis*, qui propterea in coenaculum se contulit, et apud simulacrum comploravit, quanta pati periclitaretur. Simillima his circumstantiis ea, quae legimus de *Ezechiae*. IES. XXXVII. v. 1. 14. Cum autem hac, blasphemias *Assyriorum* et jactationes audivisset *Ezechias*, uestes suis lacravitis, siccus se induit, inque adem Dei ingressus est, mystique ad *Esiam*, qui dicerent, sic esse locutum regem, diem angustie, objurgationis et contumelie advenisse. Tum porro *Ezechias*, literas minarum plenas, quas ab *Alyriis* acceperat, in templo palam explicitur. Denique oravit in hanc sententiam: *O creator, qui praes exercitibus, Deus Israëitarum, qui inter Cherubos resiles, audi me, aperi oculos tuos, ut videoas, quid fiat inter homines: audi superba verba Senacheribi, tibi contumeliosa.* Occurrit adhuc *Vulcanum* per somnium respondisse *Sethoni*. Prophetæ saepissime in梦中 monebantur. Non igitur dubium est, quin Deus *Esaie*

solo oculis a temporibus eis non impeditus erat in somniis mone

fominanti eam dictaverit responsonem quam legimus cap. XXXVII.
v. 21. Occurrit postea rex ipse Assyriorum SENACHERIBVS, de cuius profecione in Ægyptum im primis Uſſerius consulatur, hunc vero post subiectam Ægyptum voluisse Iudeam in potestatem redigere, ex scris monumentis est manifestum. Occurrit tandem miraculosa strages exercitus Assyriaci et fuga Senacheribi; adde pietatem regis Setbonis, cui posita statua in templo Vulcani cum hac inscriptione: *In me quis intruens, pius ipso.*

Iam paucis dissensum perlustramus. Ægyptii nullam mentionem faciunt angeli percussoris, sed murium: de muribus autem S. S. in altum descendit silentium. Ad hanc objectionem hæc repono. Primo scriptores diversi in eadem historia enarranda sèpe circumstantias omitunt, aliunde supplendas. Extat illufstre hujus omissionis exemplum in historia arcæ fœderis, cum esset capta a Philistais, et temere per eorum urbés traduceretur. Tunc enim Philistæ miris plagiis affecti nihil prius nihilque antiquius sibi faciendum existimarentur, quam ut arcam cum muneribus ad locum suum remitterent. Plagæ enumerantur I. Sam. V. quas inter de muribus ne verbum quidem. Postea tamen quando donaria determinantur, mures etiam prodeunt, qui regionem devastaverant. I. Sam. VI. Fieri itaque potuit, ut strages Assyrii illata non solum horribilem typhonem, ventum pestiferum, sed ipsos etiam mures agnoverit. Malumus tamen hanc de muribus historiam figmentis Assyriorum adscribere, qui Typho-

nem

nem suppresserunt, quoniam *Egyptiorum* numen maleficum erat et odiosum. Nam gentiles creberime sacras historias corrupisse, a vi-
ris doctis ostensum est saepius. *Egyptii* quam deturpaverint *Iudæo-*
rum historiam ex *Manethone*, *Appione* et aliis ostendit *JOSEPHVS*. Sed legantur tantummodo, quæ de *Iudæorum* origine et rebus gestis consarcinavit *IVSTINVS* Lib. XXXVI. Nec postremo plane peregrina videri debent, quæ de musculis narrant *Egyptii*. Hæc enim docet *Servius* in *Aeneidos lib. II. v. 108.* „Scamander cum Cre-
„,tā frugum inopia laboraret, cum parte tertia populi ad exteris se-
„,des querendas profectus est, ab Apolline monitus, ibi eum habitu-
„,rum sedes, ubi noctu a terrigenis oppugnatus esset. Cum ad Phry-
„,giā venisset, et castra posuisset, noctu mures arcuum nervos et lora-
„,menta armorum adroferunt: Scamander hos interpretatus hostes esse
„,terrigenas, in Idæ montis radicibus ædificia collocavit. Teucer de-
„,jinde Scamandi filius templum Apollini constituit, quem Smin-
„,theum appellavit.„ Cretenses enim nurem *Σμίνθος*, *Sminthum* dicunt. Et quidem hæc haecenus.




AB: 155064 (1)



56.

R

VD17



IOHANNIS PHILIPPI HEINII FIL.

DISSERTATIO

de auctore et causa stragis Assyriorum tempore Ezechiae Iudeorum Regis

ad

ILLUSTRATIONEM IESAIÆ CAPITIS XXXVII. v. 36.



Berolini,

Litteris Caroli Friderici Rellstab. 1761.

